

NOBILIBVS,

Prudentibus & Potentibus Dominis

D. D. DEPUTATIS.

ET

CONSILIARIIS ORDINVM

Hollandiæ & VVest-Frisiæ.

Nobiles prudentes ac potentes Domini

APologia hæc Remonstrantium, pro divina veritate, vestra autoritate & ipsorum innocentia est. Ignoscite si eam inscribant augusto nomini vestro. Nulla temeritate id fit, sed partim necessitate, partim exemplo: Necessitatem ijs imposuit Theologorum vestrorum labor, qui simplicem atque innoxiam eorum Declarationem, ante annos aliquot editam, tot atrocibus criminationibus & suspicionibus onerarunt, ut tutam esse non posse credant in Repub, vestra innocentiam suam, nisi apud vos iusta responsione eas diluant. Exemplo, quia præi-
verunt Theologi vestri, & censuram suam vobis inscripserunt, quibus fidei & causæ suæ innocentiam Remonstrantes quam maximè probari cupiunt ac desiderant. Sequuntur actores suos ex lege & ritu gentium penè omnium, nec exceptione fori vtuntur. Enim vero ea est veritatis & innocentiae fiducia, ut nullum forum nullum tribunal reformidet, vbi alteram partem non audire religio est. Secura est apud omnem iudicem, qui sine gratia, sine offensa ambigua causarum fata dirimit, nec difficile credit eum, licet accusationibus præventum, nuda causæ suæ & innocentiae ostensione in subsellium suum trahere. Ea vero etiam est Reipub. Vestræ supra alias non paucas gloria, ut alteri parti aurem non præbere, nefas esse iudicetis, ne causa quidem Religionis excepta. Nempe supremam causarum omnium cognitionem ad istud auditorium & tribunal pertinere creditis, cui summa Reipub. cura & populi suprema

()

prema